

mini est terra, et plenitudo ejus, et universi qui habitant in ea.

49. *Secus si justa alia causa concurrat.* — Dicitur autem notanter, ob solam infidelitatem, si enim injuriam inferunt Christianis, utique bello expugnari poterunt; ob hanc enim sibi illatam supremi principes justam causam habent, bello expugnandi injuriam inferentes, quoscumque etiam sibi subditos. Pariter bello expugnari poterunt infideles ob peccata, quæ injuriam in innocentium vergunt. Innocentes enim defendere permissum est a Deo, juxta illud Proverb. xxiv. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.

50. *Aut si infideles denegant licentiam prædicandi Evangelium.* — Limitatur etiam conclusio in casu, quo infideles prædicatoribus Evangelii resisterent, et denegarent licentiam prædicandi Evangelium, vel si subditis suis fidem a prædicatoribus audiendi, eamve suscipiendi recusarent licentiam; tali enim in casu ob injuriam illatam S. Evangelio, quod prædicari in universo mundo præcepit Christus *Marci*, xv: « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium universæ creaturæ, » bello expugnari licite posse infideles, plerique fatentur cum D. Thoma 2, 2, q. 8, a. 8; Becanus, *de Fide*, cap. xiii, q. 4, concl. 3; Layman, lib. II, tr. I, cap. xvii, n. 3; Engel, h. t. n. 10. Et cum hæc causa apud infideles plerumque inveniatur, ansam eos bello juste expugnandi, fere semper habuerunt, et etiam-nun haberent principes christiani.

51. *Juxta communionem liberi infidelium invititis parentibus baptizari licite non possunt.* — Quæritur VIII. An Judæorum et infidelium liberi insciis, aut invititis parentibus licite baptizari valeant? Resp. I. Spectando communionem doctorum, ordinario loquendo de liberis hujusmodi, ante usum rationis id licitum non esse. Barbosa, in c. *Sicut Judæi*, h. t. n. 3, et ibi Abbas, ac Felinus, Navarrus, *Consil. 4, de Controvers. infidel.* D. Thomas 2, 2, q. 10, a. 12; Engel, h. t. n. 11, et communior aliorum, quos secuti sumus in Theologia nostra morali, tr. XIV, dist. 3, q. 1, n. 8. Ratio est, quia liberi infidelium ante usum rationis secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quibus proin injuria contra jus naturale fieret, si illis invititis, liberi eorum baptizarentur. Accedit, quod valde periculosum esset, ita baptizare tales liberos, utpote qui remanentes apud

parentes (eis enim invititis auferri nequeunt) ex affectu erga illos, et seductione eorumdem facillime ad infidelitatem redirent, non sine injuria baptismi. Hinc neque Ecclesia unquam consuevit liberos infidelium invititis parentibus baptizare.

52. *Nisi in certis casibus.* — Dicitur autem notanter ordinario. Limitatur enim conclusio in nonnullis casibus.

I. Si proles a parentibus jam separata, iis amplius restitui non posset, aut non deberet, uti fit, si parentes jam sint mortui, aut a christianis in justo bello capti.

II. Si unus parentum altero dissentiente ad baptismum consentiat; quia tunc parentis consentientis voluntas justior in favorem prolis præferenda est.

III. Si proles ad usum rationis jam pervenit, aut pervenisse præsumitur, baptizarique velit, quia in iis, quæ concernunt animæ salutem, homo non dependet a parentibus.

IV. In articulo mortis: sicut et si liberi etiam adulti censentur perpetuo amentes, insciis vel etiam invititis parentibus baptizari valent; dummodo id in his ultimis duobus casibus absque gravioribus incommodis fieri possit; quia in his casibus cessat periculum perversionis, ac injuriæ baptismi, prout jam docuimus in Theologia nostra morali cit. loc. Imo:

53. *Valde probabile est, eos semper baptizari licite posse invititis parentibus, præsertim si adhibeatur debita cautela.* — Resp. II. Valde probabile est, Judæorum et infidelium liberos ante usum rationis insciis et invititis parentibus semper licite, quin et laudabiliter baptizari posse, præsertim si adhibetur cautela, ne a parentibus in odium fidei occidantur, et spes sit, quod religiose educari valeant. Scotus, in 4. distinct. 4, q. 9; Mastrius, in 4. *Disput. quæst. 4*; Sannig, tom. III, disp. 2, q. 13, citans Pontium, Brancatum, Hicquæam, et communem Scotistarum, cum quibus etiam sentiunt Joan. Andreas, Archidiaconus, Geminianus, et alii apud Barbosam, loc. cit. Probatur ratione Scoti; quænta dominia et potestates sunt subordinatæ, obediendum est habenti potestatem majorem neglecto præcepto, vel contradictione habentis potestatem et dominium minus, juxta illud D. Augustini, hom. 6, de verbis Domini: « Si aliquid jubet potestas, quod non debet facere, hic sane contemne potestatem, timendo potestatem majorem, » sed Deus habet majorem

potestatem, majusque jus in filios infidelium, quam parentes eorum; ergo magis parendum Dei, quam parentum voluntati circa eorum filios; atqui Deus præcipit universaliter omnes, et consequenter etiam infidelium liberos baptizari, juxta illud, « Docete omnes gentes, baptizantes eos, » etc.; ergo etiam invititis parentibus baptizari possunt.

54. *Confirmatur: si infideles parentes prolem suam negando, aut subtrahendo ei alimenta, aut aliæ vitæ necessaria vellent occidere, aut nollent ab aliquo alio manifesto vitæ periculo liberare, profecto posset quisvis insciis, vel etiam positive invititis parentibus talem prolem cibare, eique necessaria vitæ præbere, et vitæ periculo liberare, non obstante, quod proles jure naturæ sit sub cura parentum; quia hæc eis potestatem, vel jus in vitam prolis, ita ut eam pro libitu perdere, vel negligere possent, non tribuit, sed potius obligationem pro possibili conservandi eandem imponit, prout omnes fatentur; ergo etiam potest quis tali proli invititis parentibus præbere necessaria ad vitam animæ, cujusmodi est baptismus, utpote sine quo anima est, et in æternum manet mortua; cum parentum cura jure naturæ in prolem competens multo minus tribuat jus in animam, aut potestatem perdendi, vel negligendi eandem, sed potius imponat gravissimam obligationem, adhibendi omnia ad vitam animæ necessaria: inter quæ vel maxime est etiam baptismus.*

55. *Confirmatur ulterius: si proles infidelium non posset baptizari invititis parentibus, hoc ideo esset, quia parentes vi curæ paternæ habent jus naturale, ne illis invititis proles eorum baptizetur; et consequenter, quia eis fieret injuria contra jus naturæ, ut argumentantur adversarii; atqui falsum est, quod parentes habeant tale jus in filios; quia jus naturale non est contrarium sibi, aut juri divino, nec ejus impeditivum; cum gratia naturam non destruat, sed perficiat; proles autem infidelium habet jus divinum naturale, quod possit baptizari, et parentes illius tenentur etiam jure divino naturali et ipsi baptismum suscipere, et procurare, vel permittere, ut proles eorum baptizetur; ergo.*

56. *Confirmatur adhuc: Jus naturale non est sibi metipso contrarium; sed infideles parentes vi curæ paternæ, jure etiam naturali tenentur proli suæ procurare, vel per-*

mittere necessaria ad vitam animæ; ergo vi ejusdem curæ paternæ non habent jus necessaria ad vitam animæ impediendi; atqui baptismus est proli eorum necessarius ad salutem, et vitam animæ: ergo vi curæ paternæ jure naturæ tenentur eum proli procurare, vel permittere; consequenter vi curæ paternæ non habent jus naturale baptismum impediendi.

57. *Solvuntur instantiæ.* — Dices: parentes infidelium bona fide procedunt resistendo baptismi suæ prolis, eo quod rectam fidem lumine naturæ sibi minime notam ignorantibus putent, se bene agere; ergo non agunt contra jus naturale; consequenter confirmationes præcedentes nil probant. Resp. Si infideles vivunt in locis fidelium, ut Judæi a potiori vivunt, falsum est, eos ex ignorantia invincibili, et bona fide procedere, eo quod in talibus locis fides, et necessitas baptismi eisdem passim, et sufficienter proponatur; consequenter potius pertinaces, quam in bona fide esse censendi sunt. Resp. II. Dato, quod plures infideles ex ignorantia invincibili, et bona fide resistant baptismi suæ prolis, tamen exinde nullum competit parentibus jus naturale, ne ipsis invititis proles eorum baptizetur, nec fit illis injuria, si eis invititis proles baptizetur; quia, sicut non fieret injuria, si invito rustico catholico ex invincibili ignorantia necessitatem baptismi ignorante, proles ipsius a parrocho baptizaretur; quia invincibilis ignorantia, et bona fides parentum etiam infidelium non facit, nec excusat, quin baptismus proli sit necessarius, et hæc sine illo pereat; neque facit, quin proles jus divinum naturale habeat ad baptismum: consequenter parentes non habent jus naturale, ne baptizetur, nec fit eis injuria contra jus naturale, si invititis eisdem baptizetur, alias jus naturale manifeste sibi esset contrarium, ut consideranti patet. Et per hoc patet sufficienter responsio ad rationem in contrarium n. 51, allegatam.

58. *Ad illud, quod n. 51, dicitur, « ob periculum perversionis baptismi fieri injuriam. »* Resp. Plurimas esse vias, quibus tale periculum evitetur, etiam absque hoc, quod proles a parentibus separetur, ut si v. g. sub eorum cura usque ad usum rationis relinquatur, et postea primum separetur; prout absque injuria parentum fieri posset, quia tunc proles in iis, quæ contra salutem animæ, obedire non teneretur, sed

potius Ecclesiæ, cujus membrum mediante baptismo prius collato jam esset effectum. Dein negari potest, ob periculum futuræ apostasiæ fidei injuriam sacramento baptismi, conferendo illud infanti infideli: sicut enim non obstante periculo relapsus, nulla fit injuria sacramento Confirmationis, Eucharistiæ, etc., ita etiam nulla dici debet fieri injuria, si stante periculo apostasiæ confertur infanti infideli. Præsertim quia non obstante tali periculo apud plures optimum effectum habere potest, illos nempe, qui adhuc ante usum rationis moriuntur, qui utique sunt multi; et illos, qui contra legem naturæ non peccant, et bona fide contra præcepta Ecclesiæ agunt, utpote qui sic baptismo provisi, æternum salvarentur. Plura de hac materia, qui cupit, videat Mastrium, loc. cit. (ADNOTATIO XVII.)

TITULUS VII.

De Hæreticis.

1. *Ratio continuationis, necnon laus Italarum, et Hispanorum, ac e contra negligentia Germanorum in hac materia.* — Post præcedentem titulum, in quo agebatur de iis, qui baptismo carentes, Deum blasphemant vel negando, vel male colendo, recto ordine sequitur de iis, qui baptismo jam imbuti Deum inhonorant a vera fide deficiendo, quales sunt hæretici. De quibus ad hanc rubricam fuse agunt, canonesque, jura et leges contra illos emanatas exacte observant Itali, et Hispani; idque sancte et merito: sic enim a pestifera, et maxima nociva hæresi provincias suas conservarunt, et etiamnum conservant immunes: Dum e contra Germani negligendo, et transgrediendo præfatos sanctissimos canones et leges in causa fuere, quod hæresis successive in tantum invaluerit, ut non solum integra regna, et provincias illa infectas videre, sed insuper pati debeant, quod hæretici in memoratis provinciis plures episcopatus, ac bona illorum possideant, totaque in Germania plenam cum catholicis communicationem habentes fere sine omni pœna in hæresi vivere, factis ad id etiam publicis tractatibus, et fœderibus. De quorum valore infra § 4.

§ I.

DE NATURA, AC DIVISIONE HÆRESIS, ET HÆRETICORUM.

2. *Hæresis unde dicta?* — Quæritur I. Quid sit hæresis? et quid hæreticus? Ante responsionem nota, hæresin esse verbum Græcum, idem ac electionem, vel eligere ac sectari significans, eo quod sit novæ, et a communi Ecclesiæ, et Spiritus Sancti vero sensu alienæ doctrinæ, et opinionis electio, aut secta, can. *Hæresis*, 27, et can. *Hæreticus*, 28, can. 24, quæst. 3. Hoc notato:

3. *Hæresis formalis, quid?* — Resp. I. Hæresis formalis (hanc siquidem hic definimus et non materialem, de qua infra) est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem fidei catholicæ. Ita in re cum communis catholicorum S. Thomas 2, 2, quæst. 11, a. 1; Farinacius, *Prax. crimin.* quæst. 178, n. 5; Sanchez, lib. II. *Moral.* cap. VII, n. 1; Pirhing, h. t. n. 1, et alii. Dicitur notanter, *homo baptizatus*; quia errores, quos non baptizati, v. g. Turcæ, Gentiles, Judæi contra fidem catholicam habent, non hæreses, sed paganismi, vel judaismi sunt, et vocantur, ac propterea pœnis hæreticorum ab Ecclesia in hos latis non subjacent, uti post Suarez, disp. 19, de *Fide*, sect. 5, bene observat Pirhing, h. t. n. 3, arg. c. *Odia*, de *Reg. jur.* in 6.

4. *Requiritur ad eam error in intellectu, et pertinacia voluntatis.* — Resp. II. Ad hæresin formalem duo copulative requiruntur, nimirum error in intellectu, et pertinacia in voluntate. Communis et certa arg. can. *Dixit Apostolus*, 29, et can. *Qui in Ecclesia*, 31, can. 24, quæst. 1. Et quidem quod requiratur error, id est erronea opinio, vel iudicium intellectus contra fidem catholicam, patet; quia hæresis est species infidelitatis, hæc autem importat errorem intellectus contra veram fidem, ut notant theologi. Quod vero requiratur pertinacia ex parte voluntatis, clare habetur ex c. *Damnatus*, 2, de *Summa Trinitat.* et cit. can. *Dixit Apostolus*, 29, can. 24, q. 3.

5. *In quo consistat hæc pertinacia.* — Solum notandum, pertinaciam ex parte voluntatis ad constituendam hæresin requisitam non consistere in hoc, quod quis acriter, ut quasi mordicus diu retineat, defendat, vel tueatur errorem contra fidem, sed in hoc,

quod hujusmodi errorem retineat, postquam contrarium eidem sufficienter jam est propositum, vel etiam quando scit, contrarium teneri a vera universali Ecclesia catholica, cui iudicium suum præferre præsumit, prout bene cum communi aliorum advertit Mastrius, in *Theolog. Moral.*, disput. 10, n. 24. Ratio est, quia in rebus fidei quilibet tenetur se subjicere iudicio, ac definitioni Ecclesiæ, utpote quæ est columna et firmamentum veritatis, I ad *Timoth.* III, ita, ut portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Matth.* XVI, 18. Hinc qui hoc facere renuit, jam plus nimio, et superbe adhæret propriæ opinioni, vel iudicio suo erroneo, consequenter pertinax in suo errore est. Cæterum ex dictis

6. *Externe tantum negans fidem, non est hæreticus.* — Inferitur I. Eup, qui metu mortis, vel ex alia causa negat exterius fidem, aut aliquid fidei contrarium affirmat absque interiori mentis assensu, quo verum credat, quod ore profert, graviter quidem peccare contra præceptum profitendi fidem, proprie tamen, ac vere hæreticum non esse. Navarrus, in *Manual.* cap. XXVII, n. 56; Sanchez, loc. cit. cap. VII, n. 8, et communis aliorum. Ratio est, quia hæresis essentialiter consistit in interno iudicio erroneo intellectus contra fidem, quale hic non adesse. Nihilominus in foro externo talis censeatur hæreticus, et ut hæreticus merito puniretur, quia Ecclesia non iudicat de occultis. c. *Sicut tuus*, de *Simonía*.

7. *Nec interne errans circa illam, si paratus sit se submittere iudicio Ecclesiæ.* — Inferitur II. Quod ex ignorantia errans contra fidem, simul tamen iudicio Ecclesiæ sese submitteat, paratus credere, quod illam credere intellexerit, non sit hæreticus; quia in suo errore non est pertinax contra fidem, arg. c. *Damnatus*, § *In nullo tamen*, de *Summa Trinitat.* juncta Glossa, ibid. §. *Paratus*, ubi hæc de causa Joachim Abbas non censeatur hæreticus, non obstante, quod docuerit sententiam hæreticam ibidem damnatam; quia videlicet scripta sua submitit iudicio Sedis Apostolicæ, sicque non fuit pertinax. Unde S. Augustinus relatus c. *Dixit Apostolus*, 24, q. 2, sic ait: « Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nulla pertinacitate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærent autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. » Hæc ibi.

8. Hinc Fagnanus, in c. *Damnatus*, de *Summa Trinitat.* n. 25, ait de Joachim Abbate, quod stante sua protestatione, quam ibidem verbatim refert, non fuerit hæreticus, sed erraticus: quia noluit discedere a Christo. Est autem differentia inter erraticum, et hæreticum: nam simplices homines (seu qui ex simplicitate errant circa fidem, tamen suam opinionem fidei Ecclesiæ supponunt) sunt erratici, quia errant; et tamen non sunt hæretici, quia nolunt a Christo discedere, ut post Baldum loquitur Fagnanus, in c. *Firmiter*, de *Summa Trinitat.* n. 20. Concordat c. *Hæreticus est*, 24, q. 3, ibi: « Ille autem, qui hujusmodi hominibus hæreticis credit, homo est imaginatione quadam veritatis et pietatis delusus. »

9. *Etiam si ex ignorantia crassa erret circa fidem.* — Imo addunt doctores ab hæresi, et pœnis hæreticorum immunem esse quoque illum, qui ex ignorantia etiam crassa, et supina, ac mortaliter culpabili ignorat, errorem suum, seu opinionem erroneam veræ fidei, et veræ Ecclesiæ esse contrariam. Farinacius, in *Prax. crimin.* q. 179, a. n. 29; Sanchez, loc. cit. cap. VII, n. 20; Pirhing, h. t. n. 2; Layman, lib. II, tr. 1, cap. XIII, n. 2, cum communi. Ratio est, quia adhuc deest pertinacia, quæ requirit scientiam, quod pertinacis opinio, vel iudicium adversetur, veræ fidei, aut Ecclesiæ. Accedit, peccatum hæresis non esse peccatum ignorantie, sed infidelitatis positivæ, ad quam requiritur scientia, contrarium teneri a vera Ecclesia. Confirmatur; quia alias plurimi inter catholicos essent hæretici; cum plurimi ex ignorantia etiam culpabili versentur in erroribus, et opinionibus erroneis universali Ecclesiæ contrariis. Sed

10. *Hæreticus est, qui dubitat de fide, vel aliquo fidei articulo.* — Quæritur II. Num etiam censeatur hæreticus formalis, qui positive dubitat de fide, vel aliquo illius articulo sufficienter sibi proposito, pertinaciter asserendo, vel iudicando, non esse omnino certum, vel esse dubium, an sit certus, vel verus talis articulus fidei? Resp. Affirmative. D. Thomas 2, 2, q. 10, a. 5, et q. 11, art. 1; Abbas, in c. 1, h. t. n. 1; Pirhing, h. t. n. 4; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. VII, n. 12; Sylvester, §. *Hæresis*, 1, q. 3, cum com-